Heidelberg, 1839


Ex-libris
Charles Atwood
Kofoid
BMC

Heidelberg, 1839

DE

LUXATIONE ASTRAGALI

EX EJUS CUM OSSE NAVICULARI CONJUNCTIONE IN EXTERIOREM PARTEM.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

LITERARUM UNIVERSITATE HEIDELBERGENSI

SCRIPSIT

B. STUMPFF

MOENO-FRANCOFURTANUS

MED. CHIR. ET ART. OBST. DOCTOR.

FRANCOFURTI AD MŒNUM,

TYPIS HELLERI ET ROHMI.

MDCCCXXXIX.

VIRO

Illustri, Experientissimo, Amplissimoque

MAXIMILIANO JOSEPHO

C H E L I U S

Medicinae et Chirurgiae Doctori,

MAGNI DUCIS BADARUM A CONSILIIS AULÆ INTIMIS,

MAGNI DUCIS BADARUM ZAHRINGIÆ LEONIS

ET

MAGNI DUCIS HASSIÆ LUDOVICI

ORDINIS EQUITI,

Chirurgiae et Ophthalmologiae Professori publico ordinario,

Directori Clinici Chirurgici et Ophthalmiatrici,

Heidelbergensis

Multarum Socieatum Sodali.

Præceptori

Dilectissimo Meretissimo

ET

VIRO

Doctissimo atque Experientissimo

SCHWARZSCHILD

Medicinæ, Chirurgiæ et Artis Obstetriciæ

Doctori

Plurium Societatum Sodali

Amico suo

Has studiorum primitias

consecrat

Auctor.

De luxatione astragali

ex ejus cum osse naviculari conjunctione in exteriorem partem.

---

§. 1.

Operae assiduae experientissimorum nostri temporis chirurgorum debemus, doctrinam de articulorum corporis humani luxationibus ad magnum perfectionis gradum pervenisse. Quae quum ita sint, equidem hanc chirurgiae partem tractandi non auderem, nisi luxatio, de qua hic agemus, in chirurgicis libris minus accurate tractata, res maximi momenti esset.

§. 2.

Omnium luxationum rarissimae ossium tarsi sunt, partim propter eorum singularem structuram et articulationem, partim propter tam firmam atque immobilem inter se conjunctionem, multis et vali-

dis ligamentis effectam. Hac articulorum conjunctione, quippe quae firma sit et parvum tantum motum concedet, luxatio sine magna vi in ipsam hanc pedis partem porrecta accidere non potest, quae tamen si contingit, saepe cum fractura tibiae, fibulae et diruptione ligamentorum et cum laesionibus mollium partium, quae eas tegunt, conjuncta esse solet.

§. 3.

Rarissimarum, gravissimarum et maxima incommoda afferentium luxationum est luxatio astragali ex conjunctione cum ossibus, quae eum circumdant. Si structuram hujus ossis ejusque situm inter tibiam, fibulam, os calcaneum et naviculare ejusque conjunctionem multis et validis ligamentis effectam, consideramus, raritas ejus luxationis, nisi simul partes id os circumdantes laedantur et pes cum eo conjunctus, luxetur, facile intelligi potest, ejus conjunctionem eam esse, ut experientissimus A. L. Richter in libro, qui inscribitur de ossium fracturis et luxationibus, dicat; casus, qui astragali luxationes dicuntur, si accuratius eas consideremus, pedis tantum luxationes apparituras esse. Cujus tamen sententiae prorsus assentiri non possum, quum et casus, qui mihi hujus dissertationis elaboandae ansam dedit, et nonnulli alii ab experientissimo Cooper aliisque chirurgis descripti, astragali luxationem accidere posse, satis ostendant. Nam, ex mea quidem sententia, pedis ex con, sueta positione deflexio, his in casibus, minime luxatione hujus, sed

solo astragalo efficitur, qui ex conjunctione cum reliquis pedis ossibus et ex suo situ ruptus, cum vi vel inter ea vel supra ea ponitur, et pedem ad alterutram partem premit, ita ut planta pedis aut in exteriorem aut in interiorem partem moveatur, et pedis digiti intus prodeant et deorsum descendant, sed ut pes non prorsus ex articulatione cum ceteris ossibus moveatur, et aliquis tamen ejus motus cum ceteris tarsi ossibus et cum tibia maneat.

§. 4.

Quae cum ita sint duplicem luxationem et quidem *primum:* luxationem in interiorem partem statuere possumus, i. e. luxationem astragali, vel ex ejus conjunctione cum osse naviculari, vel etiam simul ex conjunctione cum tibia et fibula, ita ut inter malleolum internum tibiae et os naviculare prodeat, et pedis plantam in exteriorem partem, pedis dorsum in interiorem moveat; et *deinde:* luxationem astragali in exteriorem partem, si supra os naviculare vel ante id in sinu tarsi ponitur, quo facto pedis planta in interiorem partem, dorsum in exteriorem paululum moveatur.

Harum duarum luxationum ea, quae in exteriorem partem fit, rarior est, et eam quidem hoc loco describam. Qua de re ita agemus, ut primum quidem casum huc pertinentem, narremus, eosque, qui noti sunt, addamus, deinde diagnosin, causas, quae eam profeerunt, ejus prognosin et curationem explicemus.

§. 5.

Descriptio luxationis in exteriorem partem in clinico chirurgico Heidelbergensi duce Chelio, viro illustrissimo et experientissimo tractatae.

Michael Dieter, quadraginta annos natus, forti habitu, die decimo sexto mensis Decembris, anno millesimo octingentesimo tricesimo septimo, quum declivi itinere traham, ligno onustam, regeret, hujus vi abreptus in humilem murum cecidit, qua re ita laevo pede laesus est, ut omni ratione incedere impediretur. Investigationibus factis haec inventa sunt: in superficie dorsali pedis in exteriorem partem a latere anteriore et superiore, in inferius latus et paululum in posterius vulnus duorum pollicum visum est, acriori margine, quod acriter et diu sanguinem profudit. Tumor post violationem ortus, non longe ultra articulum extensus supra malleolum satis acriter definitus est. In interiori parte processus ossis navicularis facile sentiri potuit et a digitis non longius remotus est, quam in sano pede. Post eum, ubi astragali processus esse debet, vacuitas quae-

dam sentiri potuit, et cavitas, quo loco premendo aegroto maximi dolores excitati sunt. Malleolus internus, ut in homine sanae conditionis animadversus, sed supra eum item cavitas fuit, atque etsi nulla fracturae signa adessent, malleolus tamen in alia positione versus tibiam apparuit, quam in sano pede. Hic locus, si deprimeretur, aegroto magnos dolores attulit. Motus inter astragalum, tibiam et fibulam impeditus non fuit, et aegrotus pedem aliquatenus flectere et extendere potuit. Externus malleolus intumuit et accurate animadverti nequivit; cavum in superiorem et interiorem partem solum a tumore mollium partium effectum esse visum est. Margo eminens cavitatis glenoidalis calcanei cum osse cuboideo, ibidem cum osse metatarsi digiti minimi accurate et in naturali positione sentiri potuit, tres pollices supra planta pedis, quindecim lineas super medio pedis dorso et quatuor pollices novum lineas ante summum digiti minimi, margo rotundus animadversus est, qui ad superiorem vulneris angulum se extendit, unum fere pollicem longus fuit et qui in plantam pedis versus et paululum in anteriorem partem definitur, quae per dimidium pollicem sentiri potuit. Hic margo partem sinus tarsi obtinet, et secundum positionem et formam procul dubio nonnisi processus astragali esse potest, ex conjunctione cum osse naviculari ereptus, et in exteriorem partem et paululum supra in sinum tarsi depressus. De dislocatione alius partis et de fractura nihil certi statūi potuit. Crepitatio usquam sentiri nequivit.

Statim, in laeso, qui in clinico adportatus erat, repositionis experimenta tentata sunt, ita ut crus flexum et in pede extensio facta debito modo omni diligentia et gravitate adhibita; sed scopum, qui intendebatur, non assecuti sumus. Sequentis diei mane repositionis experimenta sunt repetita: sed quum et his eventus non responderet, frigidae fomentationes et accurata diaeta institutae sunt.

§. 6.

Die 17mo mensis Decembris, Aegrotus recreante somno usus erat et in bono valetudinis statu versabatur, tumor pedis non est auctus, dolores levissimi erant, pulsus arteriarum est tranquillus. Frigidae fomentationes et accurata diaeta continuatae sunt.

Die 20mo mensis Decembris. Aegrotus per continuum bene sese habuit, dolores tantum per noctem saevi erant, tumor auctus et usque ad superiorem partem est extensus, circum vulnus et externum malleolum cutis colorem subrubrum induit; frigidae fomentationes aqua vegeto-minerale Goulardi mutatae sunt, extensio et flexio pedis aliquatenus mansit. Pes positus est in machina ad suspensionem destinata, paululum extensus, in interiorem partem flexus, fasciis paulum in exteriorem partem tractus.

Die 25to mensis Decembris. Cutis et molles partes circum vulnus grangraena correptae sunt; rubor et tumor pedis in su-

periorem partem se extendit, aegrotus de dolore questus non est, pulsus tranquillus continuo mansit.

Die 28vo mensis Decembris. Cutis cum tela cellulosa, quae sphacelo corrupta erat, circa vulnus et ossis partem eminentem ablata, et parva cartilaginosa pars marginis articuli in sinu tarsi inventa est. Ad detersionem vulneris extensi et saniem putidi odoris secernentis cataplasmata constituta sunt.

Die 29no mensis Decembris. Partes molles circa marginem eminentem secando apertae sunt et os nudum redditum est. Pars eminens jam, ut acer margo, apparuit, qui superam superficiem glenoidalem astragali a laterali ad fibulam directam separat. Superficies, ad anteriorem partem directa, in sinum tarsi descendens igitur lateralis erat. Etsi digito longe infra astragalum pervenire potuimus, eximi tamen non potuit. E sinu tarsi duae ossis partes abruptae, quae ad anteriorem astragali marginem pertinuerunt, exemtae sunt.

§. 7.

Die 2do mensis Januarii anni 1830. Magnum vulnus, quod saniem gangraenosam secrevit, quotidie deletarum partium exemtione nudum redditum est, astragalus digito et cultro a conjunctionibus liberatus et die septimo mensis Januarii prorsus exem-

tus est. Vulnus profundissimum molliter linamentis expletum est, pes continuo in positione mediocriter extensa habebatur, et ligneae soleae per fasciam adligatus, ut quantum fieri potuit, extrinsecus in naturali positione permaneret. Aegrotus continuo bene sese habebat. Decoctum corticis peruviani accepit. Loco cataplasmatum fomentationes e chammomillarum decocto. Exemtione astragali tumor valde minutus est; rubor, qui antea usque ad genu se extenderat, paulatim evanuit.

§. 8.

Die 1^mo^ mensis Februarii. Curatio miro modo progrediebatur, vulnus immane, quod exstirpatione ortum erat, celeriter se contraxit, ita ut tum prorsus partibus mollibus expletum esset. In malleolo interno ortus est tumor fluctuans, qui supra astragalum apertus est, et primis diebus largum et malum pus effudit. Vulnus fomentationibus purum servatum est; partes molles solide se adhaeserunt, sed ita ut fluctuatio non prorsus desineret, quae mox gravius mox lenius apparuit. Pes in positione, quae ei data erat, mansit et aliquotenus ab ipso aegroto flecti et extendi potuit.

Die 15^to^ mensis Februarii. Curatio sine incommodis progressa est, vulnus externi malleoli prorsus clausum erat; granulatio lapide infernali accelerabatur. Ex interiori vulnere exiguum pus fluxit et molles partes solide se adhaeserant.

Die 12mo mensis Martii. Pes, qui satis firmitatis in articulorum conjunctione nactus erat, a machina ad suspensionem destinata in pulvinum ponebatur. Vulnus prorsus fere clausum erat. Non multo post qua sanatus dimissus est. Auctumno anni 1838, quum eum iterum viderem, baculi auxilio, satis bene ingredi potuit.

§. 9.

Is casus, a me ipso observatus, jam satis probet, astragali luxationem, ex difinitione mea supra prolata, accidere posse. Quod tamen observationibus chirurgorum aliorum experientissimorum confirmem, utile judicavi, eos casus, qui nostro respondet, ex aliorum libris de luxationibus colligere et hic breviter enarrare.

§. 10.

Casus primus.*)

Petrus Pfifre, hotulanus viginti quatuor annos natus, forti constitutione, die vigesimo mensis Februarii anni 1788, de arbore,

*) Auserlesene chirurgische Wahrnehmungen, nebst einer kurzen Uebersicht der chirurgischen Vorlesungen, welche im Hotel Dieu zu Paris gehalten worden von Desault, Oberwundarzt am Hotel Dieu. Aus dem Französischen, II. Bd., Seite 3 — 6. Frankfurt a. M., 1792.

circiter viginti quatuor pedes alta decidit. Totum corporis pondus cadendo quievit laevo pede, sub quo rotundus lapis mediae magnitudinis erat. Statim post casum homo lacerationem aliquam sensit, quae cum eximio dolore conjuncta erat. Dolor conatu se erigendi valde auctus est, qua propter ei exspectandum erat, donec ceteri hortulani eum in lectum tulerunt. Chirurgus advocatus statim periculosum vulnus esse intellexit. Qua propter suasit vulneratum in hospitium, quod «hotel Dieu« appellatur, portare, ubi revera duodecima hora post casum receptus est.

Pedis dorsum extrinsecus directum, ejusque margo exteriror infra erat, interior ossis calcanei pars inferum tibiae finem tangebat. Astragalus sentiebatur sub cute ante tibiam et os cuboideum et cuneiforme tertium, quod facillime ultro citroque moveri poterat, calx item extrinsecus directa et tendo Achillis a tergo fibulae erat. Aegrotus de accerrimis doloribus questus est.

§. 11.

Successus, quo in similibus casibus celeberrimus Desault repositionem fecerat, effecit, ut etiam hoc in casu non dubitaret, eam suscipere, quamvis periculosus casus esset. Aegrotum in tergo poni jussit et adjutor superiorem pedis partem capere debebat, ad extensionem contrariam suscipiendam, dum alter adjutor pedem

extendebat, pedis dorsum dextra manu capiens, laeva posteriorem calcis partem tenens. Desault deinde pedem sine magna difficultate in rectam positionem direxit. Astragalus etiam nunc in pedis dorso erat, ut hic quoque in suam positionem collocaretur, extensio eo usque continuata est, donec inter tibiam et os calcaneum satis magnum spatium exsisteret, ad astragalum recipiendum. Cava manu Desault externam et internam marginem pedis complexus est, dum ejus pollices in astragalo erant, et hoc os in naturalem positionem collocabant. Clarus strepitus audiebatur in hoc osse inferendo, num hoc quidem re vera factum esse, naturali pedis forma et facilitate, qua pes moveri poterat, cognitum est, ut etiam ea re, quod statim dolores minuti erant. Pes linamentis intortis ligabatur, quae aqua Goulardi madefacta erant, atque pes in machina, qua in ossis fracturis utuntur, religatus est. Propter durum et plenum pulsum venaesectio facta est. Vesperi vulneratus aliquanto plures dolores habebat, qui tamen fomentationibus aquae Goulardi minuebantur. Postridie mal'eolus sanguine suffusus erat, et major tumor aderat. Quum pulsus etiam tum durus et plenus esset, bis venae sectae sunt, nimirum die tertio et quarto; die quinto tumor minutus erat et dolores paulum cesserant, octavo die sanguinis suffusio se diviserat et dolores levissimi erant. Die decimo quinto machina pro fracturis omissa est, et aegrotus interdum pedem movit, ad rigorem minuendum, qui inflammatione et longa quiete oriri potuit.

§. 12.

Die duodevicesimo aegrotus lectum reliquit, et pede niti coepit, baculi auxilio die vicesimo septimo satis commode ivit, et octovo die post nullius rei auxilio egebat. Homo hospitium reliquit post undequadragesimum diem; ibat sine minima molestia, ita ut non claudicaret, atque omnes quos facere possumus, motus efficere poterat.

§. 13.

Casus secundus.*)

Descriptus a Guillielmo Hey, chirurgo seniore in hospitio communi Leedensi.

Quaedam N. conductoris uxor, quae quinto milliario a Leeds vivebat, ex equo decidens fibulae fracturam nacta est et partialem luxationem astragali.

Astragalus in externa calcis sub inferiore parte ante fibulae caput transierat. Chirurgus mature vocatus firmam vincturam imposuerat, et eminentem astragalum presserat, sperans, se eum in suam sedem redacturum. Equidem demum duodecimo post casum die vocatus sum, et aegrotam in gravi febri inveni et vulnus a sphacelo* correptum. Magna astragali pars etiam nunc cum tibia

*) Chirurgische Handbibliothek B. V S. 285. Weimar, 1823.

conjuncta erat, ita ut ossis deletio valde difficilis fuerit, vel, ut rectius dicam, omnino fieri non potuerit. Attamen quum periculosa symptomata non tam ab hac partiali luxatione, quam ab impressione, quam membrum passum est, orta mihi viderentur, febri et gangraenae removendae operam dedi. Igitur proposui, ut eminens pars ossis serrula vel alio modo demeretur, si praesens periculum abesset. Febris cessit, et vulnus sanatum est, sed aegrota mea in eminenti osse operationem fieri, non concessit; ex hoc tempore equidem eam non tractavi.

§. 14.

Mense Septembri anni 1809 me vocavit, ut de pedis conditione inquisitionem facerem, quo tempore mihi dixit, omnes partes eminentes ossium sine chirurgico auxilio paulatim singulis partibus decidisse. Vulnus satis bene curatum et cicatrix fere cuti par erat. Pes minime rectam formam non habebat, et, ut dixit, viam octo usque ad decem milliariorum sine difficultate ire potuit.

§. 15.

C a s u s t e r t i u s.*)

Magaretha Bochert, viginti septem annos nata, puella robusta, Rodili serviens, uno milliario a Landivisio, die tertio mensis Maji anni 1811, quum ex equo caderet, vulnus pericutosum in laevi pede nacta est. Advocatus luxationem pedis esse iutellexi, ita ut astragalus per vulnus, quod in anteriori parte malleoli externi erat, exiret. Os eminens paucis tantum ligamentorum reliquiis adhaesit; praeterea nulla tibiae et fibulae violatio, de quarum superficie glenoidea inquisitiones fieri potuerunt. Apertura, ex qua astragalus eminuit, satis magna erat, ita, ut digitus articulum assequi posset.

§. 16.

Duo curationis genera Denielo initio in mentem venerunt, a m p u t a t i o e t e x e m t i o a s t r a g a l i. Exemptionem astragali praetu-

*) Journal génèral de Medicine de Chirurgie etc., redige par Sedillot, Tome quarente quatrieme Paris Mai 1812, pag. 293. Luxation du pied gouche avec sortie de l'astragale par un place a maleole externe: par Mr. Deniel, officier de Santé à Landivisiau.

lit. Quam tamen adhibere quum nollet, priusquam cum quodam collegarum hac de re loquutus esset, medicum in consilium adhibuit, qui tamen ejus sententiae assensus non est. Secundus advocatus est, qui e contrario amputationem faciendam esse consensit. Sententiam ea re adjuverunt, ut quum articulatio valde mutilata esset, multa incommoda, inflammatione et carie cruris, inde proditura, oritura esse dicerent. Deniel ad fulciendam suam sententiam ad experientissimum Boyerum provocavit, qui Tom. II, pag. 77 in libro, qui inscribitur de ossium morbis, prudentius esse dicit, astragalum eximere, si deruptio ea sit, ut os tantum nonnullis mollium partium laciniis vel reliquiis ligamentorum adhaereat, et qui quatuor observationibus movetur, prima experientissimi Ferrand, tribus experientissimi Desault. In hac sententiarum diversitate ea amborum consultorum medicorum valere debebat. Sed aegrota amputationem eo magis recusavit, quod Denielus eam curationis spe excitaverat, addens eam claudam mansuram.

§. 17.

Deniel vulnus simpliciter obligavit, et puellae persuasit, ut in hospitium Morlaixinum iret. Quod tamen consilium secuta non est, et hominibus imperitis se commisit. Die decimo mensis Maji Deniel rursus vocatus est, et aegrotam, etsi male tractata est, in meliore conditione invenit.

In consultatione die undecimo Maji cum duobus aliis medicis habita, uno ore consilium astragali eximendi captum est, ut pes conservaretur. Os exemtum est, pes in positionem naturalem collocatus et vulnus Balsamo Arcaei obligatum est, ei tegens vinctura imposita et pes crepida et apto vinculo in naturali positione tenebatur. Secutus est gastricismus, qui tartaro emetico tractatus est. Jam quum ordinaria tractatio instituta esset, quae et gastricismo, qui per totum fere curationis tempus perseverabat, et casibus, quos tanta violatio in partibus circumdantibus excitare debebat, subveniret: curatio ita processit, ut aegrota undecimo die mensis Augusti domum reverti posset, et mense Septembri baculi auxilio progrederetur. Mense Februario anni 1812 Denielum consultavit, propter abscessum, qui post scabiem in media laevi pedis parte se segregaverat. Articuli firmitas inflammatione, quae ex hac segregatione orta erat, minuta non erat. Pes paululum in interiorem partem versus est, et malleolus externus valde eminuit. Mense Junio 1812 facile munere suo fungi potuit.

§. 18.

Casus quàrtus.*)

A Cooper, experientissimus; narrat: Rus vocatus sum, ut ibi aegrotum viserem: Chirurgus, cui ibi occurri, me rogavit, ut homi-

*) Chirurgische Handbibliothek B. I. S. 318. 19.

nem viderem, qui pedis luxatione laboraret, quae ante plures quidem hebdomedes acciderit, sed cujus tamen meliore conditione contentus non esse. Re accuratius inquisita astragalum in exteriorem partem luxatum inveni et tibiam in interno malleolo oblique fractam. Nullus conatus eum in sedem suam reponendi, quem chirurgus, vir bene eruditus, facere poterat, omissus est. Quinque homines, statim post casum continuo pedem extenderunt, sed sine successu; aegrotus deinde domum ductus est, et plures homines etiam hic pedem extenderunt, et ut quidem sibi persuadebant, aliquo successu; repositio tamen, etsi magnam huic rei operam dabant, prorsus effici non potuit; astragalus enim nihilominus in inferiore et exteriore pedis parte eminuit. Extensiones continuari non poterant, quum integumenta jam sphacelo correpta essent, et vulnus multum temporis ad curationem indigeret. Membrum valde a naturali forma diversum est, digiti introrsum versati sunt et deorsum flexi. in malleolo parvus motus est, idemque locum habet inter eminentem astragalum et alia tarsi ossa.

§. 19.

Casus quintus.

Is casus a Mr. Cline tractatus a celeberrimo Coopero narratur, l. c. pag. 329 ff.

Thomas Gilmore, quadraginta quinque annos natus, operarius Hibernicus, vir robustus, ebriosus, qui suo ipsius testimonio, priore tempore ex arthritide laboravit, die vicesimo octavo anni 1845 versus undecimam horam antemeridianam in hospitium St. Thomae, quod sub auspiciis viri experientissimi Cline optime floret, receptus est. Quum eodem die mane domum, quam appellant New Coustom House ivisset, lapidis casu, ejus calci plaga illata est, qui vulnus in anteriore parte articuli pedis fecit, et pedis astragalum luxavit. Partes in hac conditione erant: Vulnus se extendit a media tibiae basi et circa superiorem partem dorsi pedis usque ad externum malleolum, quod vulnus superficiem glenoideam astragali, ad os naviculare et superficiem glenoideam ad calcaneum pertinentem in exteriore parte, ex qua utraque astragalus demotus erat, nudas reddidit, ejus conjunctio tamen cum tibia et fibula impedita non erat, tuberositas calcanei ad exteriorem partem eminuit, reliquus pes autem ad interiorem partem spectavit, ita ut digiti valde introrsum versus alterum pedem se dirigerent. Repositio flectendo crus, pedem extendendo et introrsum vertendo effecta est. Vulnus collatum est, crus emplastris saponatis tectum et in machinam pro fracturis calci positum est. Partes non tectae sunt, et, quum lenis sanguinis profusio accederet, panni lintei, aqua frigida adspersi, imponebantur. Etsi gravis febris accessit, et postea erysipelatosa inflammatio super maximam cruris partem se extendit, quae in sphacelo se mutavit, et ea re debilitatio exstitit, bona tractatione per-

fecte, etsi tarde, sanatus est, ita ut deinde penitus pede uti potuerit. Mr. Green, qui hunc casum initio vidit, de eo haec ad virum experientissimum Cooperum scripsit: In hoc casu complicatae luxationis tarsi a Mr. Cline curatae, ex iis, quae ego animadverti, astragalus mihi videtur in exteriorem partem luxatus, i. e. alia tarsi ossa ad interiorem partem demota esse.

§. 29.

Casus sextus.*)

L. Femina valde juvenis, quum equum consternatum esse videret, et ne in fluvium injiceretur, timeret, ex plaustro desiluit. Cadendo interior pedis margo violatus est, qua ex re magnum dolorem in inferiori osse sensit, et in longitudinem cecidit. In inquirendo dislocatio pedis apparuit, ita ut ejus interior margo supra se dirigeret, planta pedis autem intra et astragalus in exteriore parte appareret. Latum et profundum vulnus in exteriore pedis articuli parte erat, et in medio vulnere tibia et fibula fractae apparuerunt. Dolores maximi erant. Post repositionem scultetica vinctura usi sunt, et membrum extensum in pulvino positum est. Quum dolores repositione non sedarentur, sequens nox sine somno transigeretur, et

*) Lecons orales de clinique chirurgicale par Mr. le Baron Dupuytren. T. I. p. 250. Paris 1830.

continuae convulsiones existerent, medicus consultus amputationem proposuit, quae tamen a medico majori, recusata est. Igitur venae-sectio imperata est, et remedia sedantia adhibita sunt, quae tamen successu carebant, quin pus pejus fiebat, et convulsiones vel in maxima opii dosi auctae sunt. Trismus et tetanus sequebantur. Usque ad tractum intestinalem pervenisse videtur, quum liquores aegrotae dati ejicerentur. Abdomen durum est et instar tabulae extensum. Quum etiamum vel maximae opii doses ne minimam quidem levationem afferrent, et aegrota in desperetione maxima de salute versaretur, amputatio antea rejecta jam suscepta est. Nihilominus mala res cessit, et aegrota die decimo octavo post violationem mortua est.

§. 21.

Quodsi singulos casus, quos hic commemoravimus, cum nostro comparamus, qui vera solius astragali luxatio ab osse naviculari est, inveniemus, omnes luxationem astragali praebere, partim simplicem partim conjunctam cum ligamentorum et partium mollium dilaceratione, vel simul cum fractura ossium cruris, ubi reliqui pedis inversio ejusmodi obstabat, quae in astragalo magna cum vi ex conjunctione cum reliquis tarsi ossibus exeundo obstare debet. (Conferatur hac de re Chelii Handbuch der Chirurgie. Tom I. Sectio II. pag. 582.)

§. 22.

Cognoscitur haec luxatio inde, quod pes a normali forma et directione declinat, et quod valde immobilis est, et inquirendo facile astragali dislocatio cognoscitur conjunctione cum osse naviculari, forma et positione. Planta pedis plus minusve in interiorem partem et digiti deorsum directi sunt. Ea luxatio saepe, si magna vi orta est, cum tibiae vel fibulae vel utriusque ossis fractura et cum ligamentorum articuli et partium mollium dilaceratione conjuncta est; atque etiam cum declinatione calcanei ab osse cuboideo conjuncta esse potest.

§. 23.

Luxatio astragali permagna vi, quae in pedem vel tarsum exercetur, efficitur, et plerumque vel praecipitatione in pedem ex magna altitudine oritur, vel, si durum corpus magni ponderis insigni vi in articulum pedis fertur, vel praecipitatione in tergum, si anterior pedis pars tenetur, exempli gratia, praecipitatione de scala in tergum, si anterior pedis pars inter scalae gradus haeret.

§. 24.

Prognosis nunquam cum successu praedici potest, et casus tantum, si luxatio sine ligamentorum et mollium partium dilaceratione et si repositio mox post violationem fit, commodior est; atta-

men repositio valde difficilis est; et si non perficitur, magna deformatio sequitur. Attamen recentiori tempore ostensum est, vel in magna articuli violatione membrum astragali excisione conservari posse, quo in casu, priori tempore amputatio fiebat.

§. 25.

Hujus luxationis cura, quae nunquam sine difficultate est, fit ossis repositione, confirmatione articuli in naturali directione et remotione malorum et incommodorum violatione ligamentorum et mollium partium ortorum.

§. 26.

Repositio ea re efficitur, ut crus, ad pedis musculos relaxandos in genu flectatur, deinde extensio contraria super articulo pedis cum crure et extensio in pede fiat, atque ita quidem, ut pedem a tibia sic removeas, ut spatium ad astragalum in rectam positionem ferendum accipias, cumque recta vinctura hac in positione conserver, carens, ne molles partes ita extendantur, ut lacerandi periculum oriatur. Quodsi repositio facta est, frigidae fomentationes instituuntur. Si inflammatio et febris exstitit, venaesectiones vel hirudines adhibentur et functiones tractus intestinalis recte observantur. Si autem nihilominus molles partes inflammatione, vel in complicita luxatione

ligamentorum et partium mollium dilaceratione, sphacelo corripiantur, hunc rectis remediis, qualia China, opium, bona diaeta et vinum et externis remediis, qualia humidae et calidae fomentationes et alia contra sphacelum nota sunt, superare studere debemus.

§. 27.

Si deinde bonum pus sequitur, vulnus simpliciter tractatur. Si astragalus valde ex conjunctione cum reliquo tarso ereptus est, et si paulum tantum in ligamentis haeret, excisio, quae a Boyero in libro de ossium morbis Tom. II. pag. 177, proposita est, optimum remedium est. In fractura comminutiva astragali, singulae ejus partes aut suppuratione detruduntur aut cultro ab earum conjunctione separantur. Sin autem violatio ejus modi est, ut conatus membri conservandi vitae periculum inserat, vel si symptomata consumptionis accedant, quae amputationem indicaverant, haec facienda est.

§. 28.

Si tibiae vel fibulae fractura, vel utriusque ossis adsit, hoc in sedem suam reponendum est, et impositio vincturarum Sculteti cum caeteris vincturis, quibus in cruris fractura uti solemus, prorsus scopo respondet.